

DE
CORPORIBUS CYLINDRICIS
INCURVATIS.

Auctore
L. EULERO.

Conv. Acad. exhib. die 21 Sept. 1778.

§. I.

Quemadmodum cylindrus rectus generatur, si centrum circuli ita secundum lineam rectam promovetur, ut interea planum circuli perpetuo ad istam rectam perpendiculare conservetur: ita si centrum circuli secundum lineam curvam quamcunque ita promoveatur, ut planum circuli in singulis punctis ad tangentem curvae situm teneat perpendicularem, hoc modo generabitur cylindrus incurvatus, cujus scilicet axis erit linea curva atque omnes sectiones ad hunc axem normaliter factae erunt circuli circulo genitori aequales.

§. 2. Contemplemur nunc aequationem inter ternas coordinatas, qua natura talium cylindrorum incurvatorum more solito ^{Tab.} exprimi poterit. Hunc in finem referat curva A U utcunque super ^{Fig. 1} plano tabulae descripta, viam, qua centrum circuli procedit, pro